

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacrae Regiae Majestatis
Borussicae Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicae, Ordinis Nigrae Aquilae Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiae, 1766

LIB. XIX. TIT. I. De Actionibus Emti Et Venditi.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

AFFIRM. Nam tunc transit periculum, quia renunciatum est ad-
 mensioni. Conf. *L. 2. C. h.* *Laut. pag. 353. verb.*
 OBJ. *L. 35. §. 4. in f. C. E.* ibi: *tunc perfici cum adnumerata &c. aut res*
 RESP. Loquitur de casu, ubi traditio nondum facta est. *Berg. h. &c. emtori*

Qv. V. *An, si decem oves e grege venditae fuerint & postea ante*
adnumerationem totus grex perierit, venditor pretium
restituere debeat?

AFFIRM. Perit enim venditori, quia nondum constat, quid, quale, *Laut. pag.*
 & quantum debeatur; utpote cum certum non sit debitorem hos, *355. verb.*
 qui periere, traditurum fuisse. Vide *supra q. 2. Obj. 4.* Indeque con- *licet e. g.*
 tractu nondum perfecto periculum omne ipsius est tanquam domini: *decem*
 Falsa ergo est ratio *Lauterbachii*, quod hic obligetur ad plenam custo- *oves &c.*
 diam; nam (1) regulariter ad plenam custodiam non obligatur, nili eam,
 saltem tacite, receperit; sed & (2) ex alio capite eum teneri jam dixi.

OBJ. (1) *L. 34. §. 6. Contr. Emi.* ibi: *perfecta videtur.*

RESP. Ibi grex venditur per averfionem, tuac enim totus contra-
 ctus est perfectus. *Berg. h.*

Qv. VI. *An periculum vini venditi ante degustationem ad ven-*
ditorem pertineat?

AFFIRM. *L. 4. §. 1. h.* Quia nondum perfectum est negotium ad effe-
 ctum periculi, utpote cum adhuc aliquid agendum superfit. vid. q. 1.

OBJ. *L. 1. pr. h.*

RESP. Ibi agitur de vino non ad gustum vendito. vid. *Berg. h.*

LIB. XIX. TIT. I.

DE

ACTIONIBUS EMTI ET
VENDITI.

Qv. I. *Quaenam sint singularia in hoc titulo?*

RESP. Tria: (1) Quod sufficiat hic praestare habere licere; etsi
 non dominium. *L. 30. §. f. h. L. 57. ff. Evisit. L. 188. V. S. Laut.*
 Cocc. J. C. P. I. Yyyyyy p. 364.



p. 364. vers. per hanc &c. (2) Quod traditione quoque non transferatur dominium nisi pretio accepto, §. *vendita &c. Inst. de Res. div. Laut. pag. 356. vers. Nec dominium &c.* (3) Quod etsi pura sit emtio, adeoque statim actio oriatur, de jure quoque nullum impedimentum sit, quin institui possit, tamen tacite insit conditio, si emtor pretium obtulerit; adeoque non prius institui actio possit, sed res retineri ut pignus, donec de pretio satisfiat. *L. 13. §. 8. h. vid. q. 3.*

Qv. II. *An actio emti sit rei persecutoria?*

Laut. pag. 355. verb. rei persecutoria &c.

AFFIRM. Quia est ex contractu, §. 17. *Inst. de Act.*

OBJ. *L. 47. h.*

RESP. Agitur ibi de poena conventionali, quae etiam ad rei persecutionem pertinet.

Qv. III. *An actio ex emto nata sit, etsi pretium nondum sit solutum?*

Laut. pag. 355. verb. licet pretio nondum &c.

AFFIRM. Nam emtio perfecta est statim ac de pretio consensus est, indeque actio quoque inde datur: §. 1. *I. de Em. vend.*

OBJ. *L. 13. §. 8. h. ibi: nondum est ex emto actio.*

RESP. Scilicet cum effectu, nam nata est actio ipso jure, at institui ea non potest propter impedimentum extrinsecum, & proprium defectum, quia scilicet pretium emtor non offert. Indeque actioni emti tacite insit conditio, ut tum demum cum effectu intentari possit, si pretium solutum fuerit. Vide *supra q. 1. n. 3.*

Qv. IV. *An res vendita praecise tradi debeat?*

Laut. pag. 332. verb. Rei venditae praecise.

AFFIRM. (1) Quia res vendita est in obligatione, illa enim promissa est, tunc ergo promissum implet, quando rem illam praestat. (2) Ex natura dispositionis jus oritur ex eo, quod partes disposuere, illi autem disposuere, ut res praestetur. (3) Probatur id porro ex natura obligationis, quae est necessitas praestandi id de quo conventum est, conventum autem est ut res praestetur. Unde (4) dicitur non implere contractum, qui id quod interest praestat. *L. 17. C. fid. Instr. L. 35. §. p. R. V. L. 1. §. f. P. V.* Nec rescinditur venditio, etsi venditor duplum offerat & solvat. *L. 6. C. de rescind. vend.* Uti fur manet, etsi quadruplum solvat, sic perfidus est & fidem non implet, qui non rem, sed id quod interest, praestat.

præstat. Idque (5) probant textus Autoris in §. 2. *f. de Donat. L. 11. §. 2. de Act. Emt. L. 6. C. de rescind. vend.* Conf. supra tit. de Pact. q. 41. Harpr. §. f. de Emt. n. 33. Laut. pag. 155.

OBJ. (1) *L. 1. l. 11. §. 9. l. 12. h. l. 4. l. 10. C. h. l. 10. Quib. mod. pign. solv.*

RESP. In nulla earum quæritur, ad quid obligetur venditor, sed, si id non præstet, in quid executio fiat? Scilicet, non tantum in id quod promisit, sed & in omne id quod interest: Nec ullibi dicitur, quod liberare se possit præstando quod interest, (nam contrarium diserte statuitur in *dist. l. 6.* quod etsi duplum offerat, se non liberet); Sed quod, quia se non liberavit fidem implendo, in pœnam obligetur ad omne id quod interest, &, si id quoque interest, res ipsa militari manu auferri poterit. Nec fidem implevisse dicitur, sed contra, non implevisse, & ideo id omne quod interest præstari, *l. 17. C. de fid. Instr.*

OBJ. (2) *d. l. 17.* Ubi pretio statuto necessitas imponitur venditori vel venditionis contractum perficere, vel id quod interest ei persolvere.

RESP. Prius est in obligatione, posterius vero in executione; uti jam ante demonstravi.

OBJ. (3) Quod in factis præstetur id quod interest. Vide tit. de Pact. q. 42. At traditio est factum, *l. 72. pr. V. O.*

RESP. Non traditio rei est in obligatione, sed res ipsa, non enim venditur traditio, sed res; nec traditio merx est, sed res tradenda: Indeque traditio tantum est modus quo obligationi de re satisficit, ut in reali actione res ipsa est, etsi a possessore tradi debeat: Secus vero est, si quis expresse stipuletur fundum tradi, tunc enim ipsa translatio possessionis seu factum est in obligatione.

Qv. V. *An, ut dominium vel conditio usucapiendi in emptorem transferatur, traditio possessionis vacuæ secundum quid necessaria sit?*

AFFIRM. Ita scilicet, tradi debet, ut nullus alius rem venditam civiliter possideat: *L. 8. C. h. ibi: nec induxit in vacuam possessionem, jus 357. verb. omne penes se cum retinuisse.* Laut. pag. Neque sufficit &c.

OBJ. (1) *L. 16. de fund. dot.* Ubi res dari in dotem potest quæ ab alio possidetur.

Yyy y 2

RESP



RESP. Dos etiam pactis constitui potest, at dominium non transfertur, nisi traditione: Conf. *Berger. h.*

OBJ. (2) *L. 12. §. 1. A. P.* Ubi proprietas nihil commune habere cum possessione dicitur.

RESP. Verum est dominium transferri posse sine possessione, sed illud ipsum dominium non transfertur citra traditionem.

Plenius hanc quaestionem discutimus ad *tit. de A. R. D. vide Laut. p. 357.*

Qv. VI. *Quidnam sit juris circa servitutes, quas vel res ipsa debet, vel quae rei debentur? Anne haec quoque transeant cum re?*

RESP. Re vendita intelliguntur & cohærent omnia onera & jura, quæ rei nomine & natura continentur, *l. 66. l. 67. C. E. L. p. Evid.* cum ipsius accessionibus. *Laut. p. 361.*

Hinc cum natura & nomine rei contineatur usufructus, *L. 4. §. seq. de Usufr. accr.* & tradere eum venditor tenetur, & eo evicto tenetur de evictione. *L. 66. de Contr. Emt.* Secus in prædialibus servitutibus: Si proinde fundus venditus servitutem realem debet, eaque evincitur & vindicatur ab alio, venditor non tenetur. *L. p. de Evid.* Servitus enim est qualitas quasi prædii, uti bonitas, salubritas &c. *l. 86. V. S.* Uti ergo non tenetur venditor præstare salubritatem fundi, si sit minus saluber, ita nec libertatem nec servitutem: Nec natura & voce nominis id continetur. At quia emtor id nescivit, tenetur saltem ei quanti minoris, quia emtor si scivisset forte emtorus non fuisset. *L. 61. aedil. ed.*

Tenetur ergo venditor præstare hanc libertatem vel omne id quod interest, (1) si scivit servitutes deberi, & tacuit, ob dolum, *L. 1. §. 1. h.* (2) Si ut optimum maximum vendidit; *L. 59. ff. de C. E. V. L. 90. L. 196. de V. S.* quo casu liber a servitute præstari debet: Non autem emtor agere potest ut servitus ei præstetur, etsi venditori præstita fuerit. *L. p. C. E. L. 69. §. 3. Leg. 1. L. 90. l. 196. V. S. l. 48. de Evid.* quia naturaliter rei non inest, nec nomine rei continetur. (3) Si quid asseruit, *L. 18. aedil. ed.* (4) Si aliter pacti sint, ut in *l. 48. l. p. evid. l. 59. Contr. Emt. L. 90. §. 1. 196. V. S.*

Qv.



Qv. VII. *An venditor, ignorans servitatem fundo vendito impositam, teneatur quanti minoris emtor emisset, si scivisset eam impositam?*

AFFIRMAT. vid. q. praeced.

OBJ. (1) *L. 59. ff. C. E. ibi: Non liberum, sed qualis esset &c. adeoque fundo simpliciter vendito praestari debet, non liber, sed qualis esset.*

RESP. At eo non excluditur repetitio ejus quanti minoris &c. emisset, si scivisset.

OBJ. (2) *L. 69. §. 3. de Leg. 2. ibi: qualis est.*

RESP. Agitur ibi de fundo legato, cum proinde mera hic sit donatio, servitute evicta non tenetur quanti minoris. *Dn. Berger. h. q. 5.*

Laut. pag. 358. verb. Ignorans vero &c.

Qv. VIII. *An venditor, qui nihil dixit de pensionibus, teneatur ad interesse, si nominatim exceperit se nolle de pensionibus teneri?*

NEGATUR: Et venditor omnino vi hujus pacti liberatur a praestatione ejus quod interest, licet forte appareat postea rem tributariam esse. Nec quicquam obstat, quo minus hoc pactum valeat.

OBJ. *L. 13. §. 6. l. 39. h.*

RESP. Non agitur ibi de nostro casu, ubi scilicet venditor speciem aliquam oneris pure & bona fide nominatim exceperit: v. g. pensiones; sed quando obscure excipit, & dolose, cum sciret deberi, alterius decipiendi causa ita loquitur. Ita in *d. §. 6. dolo in tabulis tantum onus expressit*: Et in *d. l. 39. dixit: si servitutes debeantur*, cum sciret deberi; idque fraudulenter, ut additur *in f.* quia quasi dubium proponitur quod non est.

Dissent. Laut. pag. 358. verb. licet nominatim &c.

Qv. IX. *Si res tributaria vendita sit, & venditor nihil dixerit emtori, an is teneatur ad interesse?*

RESP. Distingunt Doctores, an onera sint *ordinaria*, lege publica omnibus ejusmodi bonis imposita, an vero sint *extraordinaria*? HÆC semper evincere tenetur venditor sive *sciens* sive *ignorans* emtori nihil de iis dixerit, modo emtor ea ignoraverit, quia, si scivit, ei non fit injuria, nec deceptus vel laesus dici potest.

Laut. ibid. verb. Sciens tenetur &c.



In ILLIS iterum distinguunt; si enim (α) venditor *sciens* nihil de his oneribus dixit emtori *ignoranti*, ille tenetur ex emto ad omne id quod interest, per *text. expr. in l. 21. §. 1. act. emt.* ibi: *Si venditor praedii non dicat de tributo* (adeoque loquitur textus de onere ordinario) *sciens tenetur ex emto.* Idem traditur in *l. 41. Act. emt.* ubi is, qui fundo vendito nihil de aquaeductu dixit, ex emto tenetur: Onus autem hoc est ordinarium, *l. 27. §. 1. ff. Usufr. ibique Goth.* Adeo ut hoc casu emtor vel agat ad redhibendum & dissolvendum contractum, vel quanti minoris.

INSTO. Atqui hæc sunt onera, quæ unusquisque scire debet, adeoque imputare sibi debet emtor, quod ignoret ea, quæ lege publica omnibus bonis inhærent.

RESP. (1) Hæc pœna ignorantiae nullibi in jure constituta apparet, indeque fingi non debet. (2) Contrarium apparet ex *d. l. 21.* ubi venditor tenetur ex emto, si de tributo nihil dixerit, quod omnino est onus ordinarium: *Conf. d. l. 41.* Sane (3) plurima sunt bona, quæ privilegio oneribus sunt exempta, si ergo emtor, inprimis hebetioris ingenii, idem putet, nec venditor aliquid de oneribus dicit, iusta videtur ignorantia: Sane (4) ob errorem in qualitate venditor tenetur emtori ignoranti ex emto ad omne id quod interest, *l. 21. §. 2. act. emt. l. 45. Contr. Emt.* Atqui hic est error in qualitate: Eaque sententia, quod venditor *sciens* omnia onera usitata, imo & tributa, si nihil de iis dicat, emtori *ignoranti* evincere teneatur, est communis. *Castr. ad d. l. 21. §. 1. act. emt. Fabr. rational. ibid. Burgund. de evict. c. 46. n. 3. Berger. resol. Leg. ad tit. act. emt. q. 6. Brunn. ad l. 21. §. 1. h. Laut. Comp. pag. 358.* ubi expresse supponit venditorem *scientem* & emtorem *ignorantem*.

Si (2) venditor sive ignorans sive sciens nihil dicat emtori, *scienti* onera, tunc cessat actio ex emto: Scire autem emtor intelligitur, quando ei venditur *ein Bauren Guth oder ein Lehnh. Guth*, tunc enim scire debet onus, vel tributum vel feudi hujusmodi bonis inherere: & tunc de his oneribus ordinariis non agit emtor, sed si præterea alia non ordinaria immineant, de his venditor tenetur. *L. 61. aedil. ed. L. 8. Leg. Aquil. L. 41. h.*

Si (3) venditor *ignorans* nihil dicat emtori *ignoranti* de oneribus, tunc cessat quidem actio ex emto, nec agitur ad id quod interest, adeoque nec ad redhibendum, sed saltem quanti minoris, *l. 45. Contr. emt. Brunn. ad d. l. 21. §. 1. Laut. Comp. pag. 314. ibique Dd.*

Si



Si (d) venditor partem oneris celavit, tunc non quidem ex emto agitur ad id quod interest, sed quanti minoris, l. 9. C. h. ibique Brumm. que proinde non obstat.

Qv. X. An pactum, quo venditor tributa in se recepit, valeat ratione fisci vel saltem ratione contrahentium?

RESP. Non valet ratione fisci, quia onera publica rem sequuntur, *Laut. pag. 359. verb. Hoc enim pactum.* ejusque possessorem. Atque hinc publica lege prohibitum est, ne quis sine censu vel comparare, vel vendere fundum possit, L. 2. C. sine censu. Unde emtor fundi etiam præteritorum nomine fisco obnoxius manet, arg. rubr. L. 2. L. 3. C. sine censu. L. 7. ff. Public. Neque pactis privatorum forma juris fiscalis convelli potest, L. 42. ff. Pact. Inprimis cum comperti habuerint Imperatores avaros creditores captare momentarias debitorum necessitates, adjiciendo hujusmodi pacta, solere, d. l. 2.

Exc. Si pars fundi sub hujusmodi pacto alienetur, tunc enim census in reliquo fundo manet; si modo præjudicium fisco inde non oriatur, Carpz. p. 2. c. 31. def. 21.

At alia quæstio est, an valeat ratione contrahentium, ita ut si emtor illa tributa fisco solvat, agat actione venditi ad id quod interest. Quod affirmatur (1) per textum expressum in L. 52. §. 2. ff. Pact. Pactum, ut, si quas summas propter tributiones prædii pignori nexi factas creditor solvisset, a debitore reciperet, & ut tributa ejusdem prædii debitor penderet, justum ideoque servandum est. (2) Per L. 42. ibi: talem conventionem quantum ad N.B. fisci rationem non esse servandam respondi. Neque (3) ulla ratio prohibitionis apparet, utpote cum partes de suo jure disponant. Atque ita pro hac sententia præjudicia assertit *Christin. ab Autor'e allegatus*, & *Berg. h. q. 7.* ubi & plures allegat Dd.

Obj. (1) Quod hujusmodi alienatio jure prohibita sit, rubr. & L. 2. L. 3. C. sine censu comparari non posse. Et quod nec inter contrahentes valeat, elici videtur ex ratione in d. l. 2. allegata, quia avaritia creditorum momentarias debitorum necessitates captare solet. Adeoque in odium creditorum tale pactum ipso jure nullum videtur.

RESP. Non valet hæcenus, ut venditor compelli possit ad recipiendum hoc onus, & ad liberandum fundum, quia hoc non est
in



in venditoris potestate: Indeque nec actio emti haecenus, ut promissis fletur, datur: Et de hoc casu sunt *dd. II.* At si non agat ut promissis fletur, sed aestimatoria, ut praestet quanti minoris, hoc omnino fieri potest, & haecenus pactum licitum est.

OBJ. (2) *L. 1. C. sine censu*, ubi ex tali pacto emtor contra venditorem agere non potest.

RESP. Expresse additur non dari actionem ex vendito *ut placitis fletur*: Adeoque ut fundus praecise liberetur a tributis, hoc fieri nequit, quia fundus sine censu comparari nequit, at datur aestimatoria quanti minoris.

INSTO. Cur vero emtori datur actio ex vendito, si pactum adjectum sit, *ut venditor usuras creditoribus praestet? l. 11. C. Pact.*

RESP. Quia pactum hoc praecise impleri potest, venditor proinde actione venditi ad solvendas usuras compelli potest: quae ratio cessat in tributis, utpote quae extra fundum esse non possunt: adeoque frustra ageretur ut placitis fletur: Sed, quia fundus tanti minoris valet, ex aedilitio edicto emtor aestimatoria agit, ut restituat quanti minoris emtus fuisset.

Qy. XI. *An vacca vendita vitulus quoque debeatur?*

Laut. pag. 360. verb. e. g. vacca vendita &c. NEGATUR: Quia alia res est, aequae principalis, adeoque cum in specie venditum sit, deberi nequit: Accedit *arg. l. 65. §. f. leg. 3. ibi: agris non continentur & arg. L. 1. §. 5. depof.*

OBJ. *L. 10. precar. ibi: etiam quod ex ancilla.*

RESP. Loquitur de partu, qui post contractum editus est, *ibi: natus esset*, atque ita quoque res deciditur in *l. 19. §. 7. locat.* Ubi partus in navi natus non praestat avariam, quia initio navigationis est pars matris.

OBJ. *L. 5. §. 9. Commod.* Ubi pullus sequitur equam.

RESP. Commodatario non debetur pullus, sed, quia comitatur, ut solet, equam commodatam, ille custodiam ejus aequae ac rei commodatae praestat.

De controversia, quae nuper inter *D. Berger. & Pagenstecherum* circa hanc quaestionem intercessit, vid. *Berg. Resol. ad h. q. 8. & Pagenst. in Disp. de Vacca & Vitulo lactante.*

Qy:



Qv. XII. *An fructus civiles pro rata temporis inter emtorem
& venditorem dividantur?*

Putat id Auctor; & distinguit an fructus quotidie percipiantur, an ve- *Laut. pag.*
ro per intervalla: *Ilo casu dividi eos ait pro rata temporis; hoc 360. verb.*
casu totam mercedem esse venditoris, si ante messem vel vindemias *Civilibus*
venditio fiat, si post, totam esse emtoris. *Et c.*

At clarius res ita explicatur: Fructus *percepti* omnes pertinent ad locatorem sive venditorem, adeoque & pensio pro iis debita, licet ea soluta nondum fuerit, *L. 58. pr. de Usufr. l. 13. §. 11. h. Nondum percepti* pertinent ad emtorem, quia fructus pendentes pars rei sunt, ejusque possessorem sequuntur, *l. 44. R. V.* Indeque pensio quoque, quæ pro his fructibus debetur, ejusdem juris haberi debet. *arg. d. l. 58. L. f. ff. F. fisci.* Si ergo ante vindemiam vel messem quis vendidit, transfert fructus eorumque pensionem ad emtorem, *arg. d. l. 58. ibi: jam omnibus fructibus, qui in his agris nascuntur, per colonos sublatis Et c. L. f. ibi: sed cum utraque additio intra tempora vindemiarum facta fuisset, recessum est ab hoc tractatu: Itaque placebat fructus emtoris esse: & mox, quod quidem domino colerentur, universos fructus habere: si vero sub colonio pensionem accipere, Laut. p. 361.* Sic porro, si quotidie fructus percipitur, ut in opera servi, tunc pro ea parte, qua venditor per colonum operam percipit, merces debetur venditori, pro operis futuris vero merces debetur emtori, *l. 26. Usufr. Laut. p. 360.*

OBJ. *L. f. ff. Jur. fisci. ibi: Quid putaret de aridis fructibus qui ante percepti in prædiis fuissent? Respondit, si nondum dies pensionis venisset, cum addita sunt, eos quoque emtorem accepturum.* Adeoque si res venditur percepta jam messe & vindemia, nihilominus pensio emtori cedit, si dies pensionis (qui solet esse Calendis Martiis, *l. 58. pr. Usufr. ibique Goth.*) nondum venit.

RESP. Hoc singularissimum est, ut re a fisco vendita, etiam pensiones emtori debeantur, licet fructus jam ante venditionem percepti sint: Unde etiam *nova sententia* vocatur. Quin ratio singularitatis additur, quia emtor expellere conductorem fisci non potest: *Ne fiscus colono teneretur, quod ei frui non licuisset, atque hoc habetur, ac si hoc ipsum, ut scil. pensionem acciperet, in emendo convenisset.* Ergo hoc commodum cedit emtori pro onere, quod licet dominus sit, conductorem fisci expellere non possit.



Qv. XIII. *An accessiones quoque venditae videantur?*

Laut. pag. 361. verb. Pertinentias enim &c. **A**FFIRM. Quæ scilicet ad perpetuam rei utilitatem accessere, *L. 17. §. 7. & §. f. h. de quibus plenius B. Par. in J. P. c. 9.*
DISSENT. *Laut. p. 361.*
NOT. Pertinentias per se facit cohærentia, *arg. d. l. 17. pr.* donec appareat non rei causa, nec ad ejus perpetuam utilitatem, positam vel affixam esse.

Qv. XIV. *An domo vendita etiam videatur pharmacopolium venditum?*

Laut. pag. 362. verb. Idem in pharmac. &c. **A**FFIRM. Si in specie privilegiata est domus, uti recte decidit *Berl. 3. c. 30. n. 26. Carpz. p. 3. c. 24. def. 9.* Secus ergo si non domui adhæret privilegium, tunc enim aliud est domus, aliud pharmacopolium *dd. Aut. De priori quoque casu aliud sentit Dn. Berg. in resolut. ad Laut. pag. 362. ad verba, idem in pharmacop. &c.*

Qv. XV. *An venditor thesaurum, quem in vendito fundo antequam traderetur invenit, retineat?*

Laut. pag. 363. verb. Thesaurum ta men &c. **A**FFIRM. (1) Quia nec est accessio nec utilitas rei venditæ, sed extra rem. *L. un. C. de thes. L. 63. §. 1. de A. R. D. L. 3. §. 3. A. P.* (2) Quia venditor est dominus ante traditionem. *§. 3. Emt. vend. at thesaurus cedit domino. §. 39. R. D.* Atque ita (3) statuunt Dd. allegati a *Laut. pag. 363. & Dn. Berger. h. q. 11.*

OBJ. (1) *L. 67. R. V.* Ubi pecunia deperdita quidem ad venditorem pertinere dicitur, sed expresse aliud statuitur, si thesaurus inveniatur.

RESP. Loquitur de thesauro invento in re emtori tradita, ibi: *ad ejus restitutionem fabrum induxit.* Hoc casu non cedit venditori, sed emtori, tanquam domino, & pro parte inventori, *L. un. C. de thesaur.*

OBJ. (2) *§. 3. Inst. Emt. L. 1. C. Peric. & com. junct. L. 10. R. J.* Ubi omne commodum ad emtorem pertinere dicitur, quia periculum ad eum pertinet.

RESP.



RESP. Omne commodum quod rem sequitur ad emtorem pertinet, tale vero non est thesaurus.

OBJ. (3) *L. 23. §. f. de A. R. D.* ibi: *si creditor invenerit, in alieno, videbitur &c.* junct. *L. 13. §. 8. h.* ibi: *pignus*, ubi creditori, cui ager opignoratatus est, non acquiritur thesaurus.

RESP. Hoc verum, quia creditor non est dominus, venditor autem est dominus ante traditionem.

Qv. XVI. *An emtor re tradita statim ad usuras pretii nondum soluti teneatur?*

Lauterbachius pag. 367. distinguit, an venditor fidem de pretio habuerit, an non; illo casu emtores ad usuras non teneri, nisi post interpellationem, hoc casu statim a momento traditionis teneri; addita ratione, quia illo casu ante non est in mora.

Laut. pag. 367. verb. Scil. fide de pretio habita &c.

Equidem non rejiciendam esse illam distinctionem omnino existimo. Et ratio ab Autore allegata vera est, nam *fide de pretio habita* ideo non tenetur emtor ad usuras, quia venditor hoc ipso, quod fidem de pretio habuit, usum pretii usque ad interpellationem concessisse videtur. Et sibi imputare debet venditor, quod eo casu emtorem non interpellat, eumque in mora constituat: Sed & cum singulare sit in persona minorum, quod licet fidem de pretio habeant, tamen a tempore tardæ pretii solutionis mora fiat, quia minor fidem de pretio habere nequit, *L. 3. C. In quib. caus. in int.* hæc exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

At *fide de pretio non habita* statim a die traditionis emtor ad usuras pretii non soluti tenetur: (1) Quia non simul & rem & pretium, & sic geminum lucrum ex eadem causa invito domino habere potest. (2) Fieret locupletior ex re aliena, quod leges prohibent. (3) Atque hinc expresse disponitur in *L. 13. §. 20. Ad. Emt.* *Ut usuræ pretii post diem traditionis peti possint*, addita ratione, nam cum *re emtor fruatur, acquisitum est eum usuras pretii pendere.* Idem quoque (4) deciditur in *L. 18. §. 1. Usur.* ibi: *Post traditam possessionem defuncto venditore medii quoque temporis usuræ pretii, quod in causæ depositi non fuit, præstabitur.* Unde (5) etiam jure Canonico, ubi usuræ inter crimina extraordinaria referuntur, hanc usurarum speciem probari statuunt *Brumm. ad L. 2. C. Usur. n. 5. Covar. Var. resol. L. 3. c. 4.* Neque (6) hæ usuræ aliter fiuntur quam depositione. *d. l. 18. §. 1. Usur.* ibi: *quod in causa depositi non fuit.*

L z z z z 2

AMPL.



AMPL. (1) Atque hæc usuræ debentur venditori, etsi emtor in mora non sit solvendi, per text. expr. in *L. 5. C. Act. Emt.* ibi: *licet nulla mora intercesserit.* Et *L. 9. C. Usur. Berl. p. 2. c. 38. n. 13.* quia re tradita emtor usuras non solvit ob moram, sed in compensationem fructuum rei. *d. l. 13. §. 20. d. l. 18. §. 1. Brunn. ad l. 18. ff. Usur. n. 4. Et ad L. 5. C. act. Emt. Carpz. p. 1. dec. 11. n. 12. Berl. d. n. 13.* Atque ita in contradictorio hic pronunciatum in causa Carl Schacht.

OBJ. (1) *L. 3. C. In quib. caus. rest. in int.* Ubi tanquam singulare in minore statuitur, quod ex solo tempore tardæ solutionis absque interpellatione mora ab ejus debitore committatur: Ergo regulariter ex solo tempore tardæ solutionis mora non committitur.

RESP. Verum est debitorem regulariter non constitui in mora, nisi per interpellationem, indeque hoc singulare esse in minore, quod hujus debitor moram committat etiam non interpellatus, & ex momento tardæ solutionis: At hoc plane ad nostram quæstionem non pertinet: Ubi usuræ debentur citra moram, ex eo quod emtor utatur re & pretio, ibi ergo major quoque ex die tardæ solutionis, licet in mora non sit, ad usuras tenetur. Loquitur ergo ille textus de casibus, ubi debitor non tenetur solvere nisi interpellatus, adeoque ubi usuræ non debentur nisi ex mora: nos vero agimus de casu, ubi debitor statim tenetur solvere, quia res ipsi tradita est, adeoque ubi non ex mora, sed ideo usuras præstat, quia & re & pretio simul uti non potest, quæ ratio & in majore & minore obtinet.

OBJ. (2) *L. 5. C. de Pact. int. emt.* Ubi usuræ pretii tardius exsolvi duntaxat ex mora debentur: Non ergo ex tempore factæ traditionis.

RESP. Venditor ab initio usuras non paciscens fidem de pretio habet; indeque usuras exigere nequit, nisi post emtoris moram, tunc enim ex duplici causa tenetur emtor, tum quia in mora est, tum quia lucrum ex re aliena percipit invito domino, uti optime res ita deciditur in *L. 60. pr. ff. Pro socio.*

OBJ. (3) *L. 13. C. Act. Emt.* Ubi venditor tunc demum, si mora intercessisse probetur, usuras exigere potest.

RESP. (1) Loqui textum de casu, ubi fidem de pretio habuit venditor, tunc enim non potest exigere usuras, nisi post moram. Neque tunc usuræ tam ob moram, quam quia re mea utitur, debentur. Vide *L. 60. pr. ff. pro soc.* (2) Decidunt Imperatores casum uti proponeretur; exigebat scil. venditor & sortem & usuras ex mora, & bene decernebant Impera-

Imperatores, & sortem & usuras, si mora intercessisse probetur, exigi posse; At præterea ex alio quoque capite usuræ peti possunt, licet emtor non sit in mora, nam de eo non quærebatur; neque unius positio est alterius exclusio.

OBJ. (4) *L. f. ff. Peric. Et comm. ibi: venditori, si emtor in pretio solvendo moram fecit, usuras duntaxat præstabit, non omne omnino quod venditor mora non facta consequi potuit.*

RESP. Plane hic non quæri, an emtor tantum ob moram usuras solvat, nam hoc in aliis textibus jam decisum reperitur: nimirum emto-rem teneri, etsi non sit in mora; Sed ibi quæritur, an emtor morosus, usuras solum, an præterea omne id quod interest solvat: & decidit JCtus usuras saltem exigi posse. Vid. *Lauterbachius Comp. pag. 367.*

OBJ. (5) Quod tamen iniquum sit emto-rem vel decreto iudicis vel alia iusta causa extra moram constitutum, usurasolvere debere.

RESP. Non est iniquum, tum quia utitur re aliena, tum quia se liberare potest deponendo pecuniam, vid. *supr. rat. 6.*

AMPL. (2) Idque verum est, etsi imminens periculum evictionis sit, *q. seq. nec ideo cavere nolit, ibid.*

AMPL. (3) Regula illa obtinet, etsi emtori retentio pretii iudiciali decreto injuncta sit, uti præjudicio confirmat *Carps. part. 1. dec. 11. n. 22.* Nam jus retentionis non sistit usuras, sed depositio. *Mev. part. 7. dec. 368.*

AMPL. (4) Denique usuræ hæc debentur, etsi emtor ex re vendita nullos plane perceperit fructus. vid. *q. 18.*

Qv. XVII. *Si venditor ob imminens evictionis periculum non caveat, an etiam tunc emtor teneatur ad usuras?*

AFFIRM. (1) Ex eadem æquitatis ratione, nam cum emtor re fru-
atur, æquissimum est eum usuras pretii pendere, *d. l. 15. §. 20. Laut. pag. verb. 367.*
d. l. 5. d. l. 18. Accedit (2) quod si nolit ad usuras obligari, deponere
re pecuniam, eoque se liberare possit. *d. l. 18. §. 1. ff. Usur.* Ubi ta-
men (3) requiritur, ut prius obtulerit emtori, *L. 2. C. Usur.* & tum
deposuerit. *d. l. 18.* Atque hoc ita quoque traditur in *L. 9. C. Usur.*
Lzzzz 3 debitor



debitor qui paratus est solvere, sed propter moram tutorum pecuniam pupilli penes se retinuit, non liberatur ab usuris, nisi NB. solemnem depositionem facta. Atque ita in praxi obtinet; *Brunn. ad L. 5. C. Act. emt. & aliquoties ita iudicatum ait Carpz. p. 1. dec. 11. n. 10. & p. 2. c. 34. def. 38. Berl. p. 2. c. 38. n. 15. ibique D. Paul. de Castro ad L. 2. C. Usur. n. 1. & ad L. 1. C. Usur. Conf. late Dd. & præjudicia allegata a Laut. pag. 367. in pr.*

Qv. XVIII. *An emtor ad usuras pretii tardius exsoluti teneatur, etsi ipse nullos fructus perceperit?*

Laut. ibid. verb. vel etiam nullos &c. **A**FFIRM. Quia eadem ratio manet, quod & re & pretio simul utatur, vel saltem uti possit, *L. 13. §. 20. ff. Act. Emt.*
Quid si res vendita sit sterilis?

RESP. Nihilominus emtorem ad usuras teneri: Quia utitur pretio, quod ad venditorem pertinet, exque eo locupletior fit: & licet in mora non sit exsolvendi, non tamen liberatur, quia deponere debuisse: Atque hanc sententiam præjudiciis quoque confirmant, *Laut. p. 367. in f. Berl. p. 2. concl. 38. n. 14. & 15. Carpz. p. 2. c. 30. def. 6. Christ. Vol. 3. dec. 75. n. 6. Richt. p. 2. dec. 70. n. 11. & seq. Franzk. de Act. Emt. n. 401. & seq.*

Male ergo *Lauterbachius alleg. loc.* hujus sententiæ rationem in eo ponit, quod usuræ hæ non debeantur propter fructus, sed quia in mora est; nam contrarium jam in præcedentibus quæstionibus demonstratum est. *Conf. L. 16. §. 1. ff. de Usur. L. 60. pr. Pro socio.*

Qv. XIX. *An ultra consuetas usuras alia accessio exigi possit?*

Laut. pag. 368. verb. ultra consuetas usuras &c. **N**EGATUR: quia esset contractus usurarius.
OBJ. *L. 2. §. f. de eo quod cert.*

RESP. Loquitur de pecunia trajecticia, ubi ultra consuetas usuras percipi licet.

LOCATI CONDUCTI.

Qv. I. *An domini jus protimiseos habeant in operis suorum rusticorum?*

AFFIRMAT hoc *Laut. p. 369. in f.* Si (α) eorum nihil interfit. Et *Laut. pag. 369. verb.* (β) res integra, i. e. cum alio nondum contractum sit, atque ita quater judicatum refert: At ex ratione juris id verum non est: (1) Quia omnes contractus liberi esse debent. *L. ii. C. h.* Quin injustum desiderium dicitur compellere aliquem ad vendendum *l. ii. C. contr. Emt.* (2) Rustici sunt liberi homines, qui proinde, ut alii, libere de re sua disponere possunt. *L. 21. C. Mand. L. 14. C. contr. Emt.* Neque hæc libertas ullibi restricta apparet. (3) Ita cives quoque magistratui pro aliis quælibet officia locare tenerentur, cum eadem sit reverentiæ ratio. Neque ergo (4) rusticis magis quam aliis injuria fieri debet. Et cum (5) concedatur operas has esse indebitas, & exigi ultra debitum, vid. *Carpz. dd. ll.* contradictio est eos teneri, & tamen ultra debitum esse.

Exc. (1) Nisi aliud receptum, ut in Saxoniam: de quibus loquuntur *Dd. apud Laut. d. l. Conf. Phil. Uf. pr. Inst. L. 2. Ecl. 44.* ubi ita responsum refert. Et forte in Marchia, *Müll. resol. 99. 100. 107.*

Exc. (2) In hominibus propriis vel glebæ adscriptis.

Obj. (1) Reverentia dominis debita.

Resp. (1) Exinde non nascitur obligatio ad operas indebitas præstandas: Et quid non alias ex eo inferri posset. (2) Reverentia non tribuitur injustis desideriis, desiderium autem injustum dicitur aliquem compellere ad contrahendum, *l. ii. C. Contr. Emt.*

Obj. (2) Quod domini habeant in rebus eorum jus protimiseos, vid. *tit. de contrah. emt. q. 3.* ergo & in operis.

Resp. Non habent jus protimiseos nisi in rebus, in quibus domini speciem habent, quod non est in operis; rustici enim sunt liberi homines. Accedit quod jus illud protimiseos singularissime in venditione receptum sit, quia nihil interest, an a domino an ab extraneo pretium consequatur rusticus.

Qv.

